

SPIRITU SECUNDANTE MAXIMO!

De,

# SPIRITU CREATO,

Adplaudente *SENATU PHILOS.*  
qui ABOE est Amplissimo,

Sub MODERAMINE,

*Viri Adm. Reverendi & Celeberrimi*

## DN. GABR. JUSLENII,

Log. & Metaph. Professoris Ordin.  
& Past. in Pemar meritissimi, Fac. Phil.  
h. t. Decani.

Pro Gradu Magisterii,

*Modestè differet,*

S. R. M. Alumnus

## SUENO MALMERUS

Smolandus.

*In Auditorio Maximo, die 8 Maii,  
Anno 1709.*

---

Exc, Jo. W. Alm



**E I S O Δ Ο Σ.**

**D**icit DEUS homini hac in vita *duo lumina*, quibus ipsius, post lapsum vehementer obfuscatus, illuminaretur intellectus, *naturale* nimirum & *supernaturale*: quæ autem ex hoc erit cognitio, appellatur *Theologia*, quæ ex illo, *Philosophia*. Illius fundamentum perpetuum est revelatio Divina; hujus, ratio humana; illa sub obsequio suo captiuat rationem humanam, hæc divinæ humanam adjungit patefactionem. Hæc autem lumina nebulis ignorantiae opprime ne sinat homo Φιλομαθης, res ad cognitionem invitat, ignorantia nostra instigat, desiderium cogit, Galov. Omnes namque avemus aliquid addiscere, trahimurque ad cognitionis & scientie cupi-

*ditatem.* Cicero. Cujus rei haud immemores viri, quos non solum nostra sed etiam antiqua rulit aetas, eruditissimos cujuscunq; generis studiis non parum temporis adhibuerunt & diligentiae. Veteres v. Philosophi, quibus oris suppeditabat & occasio (hos inter haud ultimum occupat locum Aristoteles) multum Philosophiae tribuebant, non solum ut clarissimam nominis sui relinquenter faciem: sed etiam ut ansam haberent conmodiorem nebulas, quæ lumen obscurant naturale, auferendi, & certos sibi de rebus formarunt conceptus ut in earum facilius penetrarent adyta. Conceptus autem illos vocarunt *seruos Technicos*, quorum usus, cum in qualibet disciplina sit insignis fatus, nos praecipuos quosdam, ut ad institutum nobis aperiamus viam, delibabimus. Summus autem illorum territorium est *ens teu aliquid* quo omne, quod vel in homine ejusque cogitationibus, vel extra eundem fuit, est, & erit, intelligitur, cui opponitur nihil & nos *cne i.e.* quod nunquam fuit,

nec erit, nec esse potest. *Ens* vero *reale*  
 id nuncupatur, quod re ipsa, extra intel-  
 lectum, esse suum haberet: quod autem in in-  
 tellectu solū existit *ens rationis*. Omne *ens*  
*reale essentia* gaudet & *existentia*: res vero  
 unaquæque unam eandemque immutabi-  
 lem habet essentiā: sed si de prædicamen-  
 talibus sermo erit, tot existentias, quo  
 momenta temporis, quæ tamen ad tres  
 commode reduci possunt classes, ad  
 existentiam videlicet *præteritam*, *præsen-  
 tem*, & *futuram*. Porro dividitur ens re-  
 ale in *substantiam* & *accidens*; unde quæcūq;  
 res, quatenus est singularis & Per se  
 subsistit absque fulcimento alterius,  
 dicitur *substantia*: quæ autem nisi in al-  
 liis existere nequit, *accidens*. Sed cum  
 non solum DEUS, qui solus a seipso, &  
 a quo omnes reliquæ res suam ducunt  
 originem, (unde & ille independens,  
 hæ dependentes dicuntur,) verum eti-  
 am multæ inter has per se subsistant,  
 adeoque substantiæ nuncupandæ, inven-  
 ta est distinctio inter substantiam *increa-  
 tam* & *creatam*. Cum vero nec omnis

substantia habeat materiam, ortum est  
 demum discrimen inter substantiam  
*materialem* & *immaterialem*, illam Phy-  
 sicas, ut ipsis propriam, relinquimus  
 considerandam: nos *spiritum creatum*,  
 qui substantia immaterialis est, hac vice  
 rudi penicillo delineandum nobis pro-  
 posuimus. Tu vero *benevolē cands-*  
*deque* lector meis fave conaribus, &  
 opusculum hoc parvum, contraetioribus  
 lucubratum noctibus, albo tuo adproba  
 calculo, vive & flore!

## THESES I.

### §. I.



PIRITUM CREATUM seu *Angelos* &  
*animam* hominis separatam da-  
 ri, non solum ex lumine scrip-  
 turæ, sed etiam *natura* proba-  
 tur, quare ex utroq[ue] pro existentia ange-  
 lorum animæque hominis separatae pro-  
 banda, adducemus rationes: ita tamen,  
 ut in allegandis scripturæ dictis, minus  
 simus prolixii, postulante id nostri in-  
 stituti ratione. Alia inter scripturæ sacrae  
 de

de Angelorum existentia, testimonia  
 V. Test. insigne est illud Psal. CIV. v. 4.  
 עשה מלאכו רוחות פשחתו אן להט:  
*Faciens Angelos suos spiritus, ministros suos*  
*ignem flammantem, quibus ex verbis li-*  
*quido constat angelos dari, simulque*  
*innuitur illos a DEO esse creatos, (uti-*  
*tur enim David verbo ἡσυ, quod de crea-*  
*tionis opere usurpat Moses Gen. II. v. 7.)*  
 adeoque DEUM non solum creaturas  
 corporeas & visibiles condidisse, sed et  
 iam invisibiles רוחות seu spiritus, qui sunt  
 vel angeli, מלאכים seu nuncii dicti, ut  
 Gen. XXXII. v. 2. מלאכי אלהים nuntii  
 DEI, cont. Gen. XVI. v. 7. &c. vel ani-  
 ma hominis de qua postea. conf. Gen.  
 XVIII. v. 1. & XIX. v. 1. Pslal. CIII. v. 20,  
 Job. I. v. 6. &c. Notandum hic breviter  
 angeli nomine non esse naturae sed officii: di-  
 citur enim מלאך legatus vel nuntius, a  
 מלאכה quæ vox functionem denotat,  
 ita Græcis ἄγγελος ab ἄγγέλη. Unde  
 B. Augustinus in locum hunc supra al-  
 legatum: quæris naturæ nomen? spiritus est,  
 quæris officium? Angelus est. vox tamen hæc

usu & stylo scripturæ recepta, certam  
designat creaturam teste (quem magni  
facimus) D. Joh. Quesst. Syst. Th.  
Loc. de Ang: ubi de varia vocis hu-  
jus acceptione consuli potest idem, &  
Scheiblerus Met. lib 2. cap 4 p. mihi 182.  
Aliisque. Nec defunt nobis ad angeloi-  
rum probandam existentiam N. Testi te-  
stimonia, quorum potiora enumerare  
sat erit, ut Heb. I. v 14. ἡγιαντες εἰσι  
λειτουργοὶ στέψασθαι, οἵτις διακονίαν αποτελε-  
λόμενα Δια τὸν μέλλοντα κλησιῶντα σω-  
τηρίαν Conf. v. 6, 7. & 13. Matt. XVIII.  
v. 10. inquit Salvator ipse: λέγω γαρ ὑ-  
μῖν, ὅτι οἱ ἀγνοῖς ἐντῶν τοῦ βασιλίσκου Δια παν-  
τὸς βλέπεται τὸ περιτύπων τῷ πατέρῳ με τῷ ἐπ-  
ιρρεποῖς. Conf. i Tim: V: v. 21 & E-  
pist: Jud: v. 6: & 9. Luc: XI: v 14.  
Matth: IV: v: 11 &c: Hisce & pluri-  
bus aliis ex lumine revelato deductis  
argumentis, existentiam angelorum cla-  
re satis & evidenter probant Theolo-  
gi: nobis autem non licet ea prolixius  
persequi; sed videbimus potius quid

ingenium humatum, solo utens lumine naturæ, in hac investiganda valeat re.

§. 2. Angelos esse, ex lumine naturæ probabilitate posse cognosci nemini erit dubium: cum & Gentiles Spiritus finitos completos dari naturaliter noverint; Unde etiam quibus acies non erat obtusior, ab scientiam, quam in ejusmodi deprehenderant spiritibus, in genere eos dannos, quasi danos a dañicio, & in specie, iudiciorum & zaxiciorum vocarunt. Nota B: Augustinum recte observasse vocem danos, in Sacris tempore designare spiritum malignum. Non ea intelligentiae a vi intelligendi, apud veteres Philosophos erat frequentius, cuius usus apud nostrates rarius. Minus multo dubitare licet, num ex lumine naturæ cum revelatione coniuncto de ejusmodi spiritum existentia constet. Sed cum demonstratio τῆς δόσης non nisi ex Scriptura Sacra sit speranda, intellectam hic volumus demonstrationem τῆς ἐπι; cum non possimus eos, nisi ex ipso-

pforum, quos experimunt, cognoscere  
 effectibus. Suarez Met. Disput: ( ta-  
 ceo Aristotelis de Cœli motoribus sen-  
 tentiam exploram) in demonstranda  
 existentia angelorum desudans, pluri-  
 ma, etiam a priori, cumulat argumen-  
 ta. (a) a possibilitate, cum nulla sit re-  
 pugnantia, vel ex parte rei, quando qui-  
 dem substantiam simul esse creatam &  
 immateriale non repugnat; (predicatum  
 enim, puta *immateriale*, creature limes  
 haud excedit, vel ex parte *causæ efficien-*  
*tis*, cum potentia DEI vi gaudeat in fidita.  
 (b) ab *ad similatione effectu ad suam cau-*  
*sam*, quomodo magis contentaneum exi-  
 stimat idem Suarez. DEUM, qui ipse  
 Spiritus est, immateriales produxisse sub-  
 stantias. (c) a *Substantia immaterialis incompleta*, anima nimirum rationali; cum  
 enim hanc dari certo constet, certiores  
 multo erimus de illa, utpote hac multo  
 perfectiore. (d) a *perfectione mundi*, ad  
 quam omnino pertinere putat angelos,  
 ut effectus per hos valde similis esset  
 ad ea quæ sunt in mundo; non tamen in causa

causæ nempe DEO. Huic Suarezio pollicem premit Scheiblerus, nec pauci alii, quos tamen Rudrauffius, qui huic rei eruditas commodavit manus, non insulse refutat: ( $\alpha$ ) quia a posse ad esse nulla est consequentia, ut norunt Logici: unde haud inepte Mendoza p: 510. Dis. Met. 12, O bone DEUS! quam multa fecisses, si que potuisti, fecisses? ( $\beta$ ) Valet solum de causa univoca, DEUS autem est mundi causa æqvivoca. ( $\gamma$ ) Non secus procedit ac si diceres: substantia infinita fuit ab æterno, ergo & finita. Quid? quod genus in una specie, & species in uno individuo, potest conservari. ( $\delta$ ) Etiam perfectus esset mundus, si vel solum rebus constaret corporis, cum & ipsæ sint perfectæ. Hanc rem apud Rudrauff. Part. Spec. Met. c. 3. memb. 2. Pluribus diductam vide. Licet jejunius hac de re disputare videatur Suarez, non tamen friget, si ei sit sententia de Angelorum existentia, sive essentia absolute considerata, nullo habito respectu ad ipsorum naturam, quam

conjunctim cum existentia urgere videtur Rudrauffans. Unde hanc litē posse componi non diffidemur, maxime cum de quidditate angelorum a Suarezio non fieri mentionem vel inde constat, quod ipse inferius paulo, dicit operam in ea exponenda perdere supervacaneum esse: evidens siquidem est non posse nos hac in vita eos quidditative cognoscere. quæ sententia est hominis non insulsi, si maxime talis quidditativa rei intelligenda cognitio, quæ prædicata etiam propria ad differentiam usque ultimam, demonstrare possit, in quibus rei quidditas maxime consistit, quomodo vix aliarum rerum quidditativam, iugi licet labore, humana sagacitas assequitur cognitionem. De effectibus & actibus variis, quibus angelorum probari solet existentia, videri potest Scheiblerus M:t: Part: Spec: Lib:2.cap.4. de eadem etiam re, juvabit videre Rudr.cap:3. de angelis Memb:2. Ne hilce diutius inhæreamus solum adjicimus hoc: angelorum existen-

stentiam e solo rationis lumine, a posteriori evidenter satis posse probari, cum effectus suam arguat causam.

¶. 3. Ut Angelorum, ita quoque animæ rationalis existentiam (intellige in statu separato) ex scripturæ pariter ac naturæ lumine, brevissima qua fieri potest ratione, ostendere ab instituto non alienum duco, Eccles. XII. v. 7.

וּשְׁבַּעֲפָר עַל הָאָרֶץ כִּשְׁחוֹה וּחֲרוֹחַ תְּשׂוֹב  
אֱלֹהִים אֲשֶׁר בְּתִנְחָה  
Revertetur pulvis in terram, unde erat, & spiritus redibit ad DEUM, qui dedit illum; & Act. VII. 59. inquit Stephanus: κύριε Ἰησοῦ, δέξαι τὸ πνεῦμά μου. confer Luc. XVI. &c. Hæc ex scriptura adduxisse sufficit, ut commodior fese offerat nobis occasio videnti, quid industria humana, in existentia animæ separatæ inquirenda, possit. Animam rationalem actu existere a corpore separatam, vel ipsius, ex immaterialitate fluens, intrinseca φύσις probat: immaterialitatem vero ejus, argumentat ipsius operationes, quæ non nisi spiritibus tribui possunt: impossibile e-

nim est operationes animæ, ipsa anima esse nobiliores, nisi effectus vel accidentia, suis causis & substantiis præstare dices, quod ἀποκρινεται. Ut nihil jam de conscientia dicam, omnibus hominibus semen quoddam religionis insitum videmus, ut ne unum quidem invenias, qui non metuat numen. His accedit etiam consensus gentilium: unde Cicero de senectute: (prætereo alios) *Ego vestros patres P. Scipio, suque C. La- li, viros clarissimos, mibique amicissimos, vivere arbitror; Et eam quidem vitam, que sola est vita numeranda, rationem addit in sequentibus: cum tanta celeritas animorum, sit, tanta memoria præteriorum, futurorumque prudencia, tot artes, tot scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, que res eas compineat, esse mortalem.* In his non ero multus, cum non dubitem ex breviter allatis rationibus esse manifestum, animam, corporis, quibus in his terris erat inclusa, liberatam compagibus, in statu vivere separato.

## THE S. II.

**N**e obliquo tramite in rei tractanda prosiliamus definitionem, in limine circa vocem spiritus paulum morabimur, Etymologia, & Synonymia, ut propter non ignotis, consulto omissis, Homonymiam paucis attingendo. Sumitur autem vox spiritus vel *Theologice*, quam acceptiōē Theologis relinquimus considerandā, vel *Philosophice*, (α) pro corpore subtili & tenui, qualis est spiritus ex ore respirantis egrediens, quomodo etiam spiritus Physicis dividitur in vitalem, naturalem & animalem. (β) pro anhelitu & respiratione; & hoc modo dicitur Græcis spiritus lenis & asper. (γ) pro vencis. (δ) in sensu Platonico, pro media quadam natura inter animam & corpus. (ε) *Metaphysice*, pro substantia immateriali, seu corporeæ molis experie, quæ acceptio est hujus loci. Plures hujus vocis esse acceptiones non abnuo: illis tamen recensendis supersedeo. Brevis jam dabitur, Spiritus creati definitio. *Spiritus creatus est substantia immaterialis*

dependens; Aptiorem arbitramur nos natu-  
 reros ansam in sequentibus, huic definici-  
 onis singulas voces explicandi, heic  
 tantum notamus, recte quidem dici spiritu-  
 rum creatum esse in *predicamento sub-  
 stantie*; (non enim hic consideramus spi-  
 ritum, prout a spiritu infinito & finito  
 praescindit, quomodo lubentes concedi-  
 mus spiritum esse *substantiam transcen-  
 dentalem*, siquidem DEUS qui spiritus est  
 infinitus, non solum substantiam logi-  
 cam, sed omne ens sua supergreditur sub-  
 limitate) non tamen hanc definitionem  
 esse perfectam secundum rigorem Logi-  
 ces, qui requirit ut definitio sit adaequa-  
 tio definito, ut cum eo possit reciprocari,  
 & genus erit univocum, quæ hic desi-  
 derantur: unde nec hanc definitionem  
 pro perfecta venditamus, quandoqui-  
 dem quidditas spiritus creari, quæ diffe-  
 rentiae loco est, non nisi a posteriori pot-  
 est cognosci, & spiritus intensus non in-  
 currit, ut inde talis ejus possit hauriri noti-  
 tia; imo nec adeo distinete in sacris literis  
 exposita est ejusmodi spiritus quidditas.

THES.

## THES. II.

§. I.

**E**x brevissima in præcedenti thesi adhibita definitione, *spiritus creatus* cum *increato convenientia* fluit, & ab eodem *differentia*, quam utramque hic considerabimus. *Convenit* *spiritus creatus* cum *increato*, quoad *conceptum* ( $\alpha$ ) *strictiorum*, quem nobis sistit *substantia*, non *Logica* & *prædicamentalis*, sed *metaphysica* & *transcendentalis*, (quam *spiritui* ut *prædicatum latius* tribuere non dubitamus) non determinate completa, sed indeterminate, a finita & infinita, completa & incompleta, abstracta, quæ nihili est aliud, quam ens per se subsistens, quatenus nimirum τὸ inhærere seu subjective esse in alio, etiamerro opponitur τὸ subsistere. ( $\beta$ ) *Strictiorum*, quæ format *immaterialitas*, qui conceperis in nostra definitione manet communis: habet enim quædam, quæ spiritibus, cum *increato*, tunc creatis, καὶ ἀναλογιαὶ communia sunt: unde *spiritus* (puta in genere) recte describitur, quod sit *substantia* τα-

sione essentie & existentie immaterialis.  
 Ne autem terminus negationis quempiam heic offendat, nobis inservire potest distin-  
 ctio inter docem, & rem voce indigitatam,  
 quam illorum explosam volumus senten-  
 tiam, qui id ajunt immateriale, quod productionis caret materia: hoc enim quis non videt esse σιδηροξυλον, cum hoc modo primum χάος, imo Cœlum & terra essent immaterialia. Conceptus igitur hic, non per negationem productio-  
 nis ex materia, sed per remotionem o-  
 mnis materie & forma physicae, seu quod forte magis placet, per remotionem  
 constitutionis, quam a spiritu tam ra-  
 tione esse, quam ratione existentiae exulare dicimus, explicandus est: il-  
 lum enim negative perverse exponi,  
 vel inde patet, quod spiritus in oppo-  
 sitione ad corpus multis, quarum ille  
 immunit, obnoxium imperfectioni-  
 bus, summam obtinet perfectionem.  
 Solet aurem non insulte adhiberi distin-  
 ctio inter materialium in fieri, & in factio esse,  
 non ex illo, sed ex hoc, adæquate deno-  
 mina-

minatur, materiaatum unde spiritus a Scheiblero recte definitur, quod sit *substātia materia expers*, vel *que intrinsece ex nulla componitur materia*, quæ modo dictis consonant. Per hunc igitur conceptū intellec-tus noster, spiritū, a corpore immediate opposito, distingui cognoscit, licet eundem in esse suo juxta ultimam differen-tiam non æque apprehendat, qua de re supra Th. I. Conceptus autem, *substantie de quo paulo ante, & immaterialis*, de quo jam, spiritui increato & creatis tribu-untur, non (a) *univoce*; quia essentiæ ratio in DEO & creaturis non est ea-dem; univoci autem natura est, ut ἰσως de suis prædicetur speciebus: nec (b) *equi-voce*; quia talibus in generibus nihil præ-ter nomen commune: sed (c) ἀναλόγως; cum conceptus ejusmodi, qui de DEO prædicantur & creaturis, illi emine-riſſimo, his inferiori attribuuntur modo.

**Conf. Th. II.** Ex hoc igitur conceptu, puta immaterialitatis, tanquam ex fonte, reliqui spiritus in communi conce-p-tus profluunt & prædicata, de qui-

bus infra Th. V. fusius pauso dicetur.  
 Q. 2, *Differit Spiritus creatus ab increato quo-*  
*ad terminū in data definitione strictissimū,*  
*voce dependentia designatū; ut enim spiri-*  
*tus creati ab accidente & corpore imme-*  
*diate oppositis, differentiam constituunt*  
*voces substantia & immaterialis, in quibus*  
*cum spiritu convenit increato, ita ejus*  
*ab hoc differentiam dat vox dependentia.*  
 Sicut vero Substantia infinita caret fini-  
 bus. ( $\alpha$ ) *Essentiae* (puta negative, quæ nec  
 habet nec habere potest finis) a parte an-  
 te & post, ut ita fieri liceat, cum illi pror-  
 sus repugner aliquando vel non fuisset, vel  
 destrui: aliud enim adhuc requireretur a  
 quo olim vel fuisset vel corrumperetur,  
 cum nihil positive sit causa sui ipsius, &  
 corruptio præsumetur fieri a valentiori:  
 imo omne ens appetit conservationem  
 sui. ( $\beta$ ) *Perfectionis*: ut enim essentia in-  
 finita, ita & perfectio. ( $\gamma$ ) *Virtutis & opera-*  
*tionis*; qualis enim est modus essendi, ta-  
 lis & operandi. ( $\delta$ ) *Durationis*; quoniam est  
 æterna. & has ob rationes est indepen-  
 dens. sic Substantia finita, essentia, per-  
 fe-

fectionis & operationis circumclusa li-  
mitibus, est dependens: unde Scharffius,  
*creaturam dicere independentem*, est non crea-  
turam dicere, eo quod dependentia in ratione  
essentiali creaturarum includatur.

§. 3. Intelligitur autem heic depen-  
dentia, non (a) *Subjectiva*, qua adjunctum  
a suo dependet subiecto: nec (b) *Ob-  
jectiva*, qua aliquid a suo dependet obje-  
cto: nec (c) *Fundamentalis* seu *relativa*, qua  
relationes a suo dependent fundamento  
proximo seu termino: sed *effectiva*. Vocis  
hujus plures acceptiones vid. apud And.  
From. Syn. Met. c. 12, p. 258. & Kil. Rudr.  
Inst. Met. Sect. 3. c. 3. Alii quatuor præ-  
cipuos dependentiae tradunt modos. 1.  
In *essendo a priori* seu *effective*. 2. In *an-  
nihilando* & *conservando*, qui fluit ex pri-  
mo; cum enim omnis creatura a DEO sit  
facta ex nihilo, sequitur eam ab eodem  
in nihil posse redigi; quod enim sei-  
pium efficere non potest, id seipsum  
conservare nequit, adeoque ad nutum  
independentis, omnis creatura vel desi-  
nit vel permanet. 3. In *operando*: quia

modus operandi sequitur modum esse-  
di, unde naturales suos actus non exse-  
quitur *causa secunda*, sine concursu *prime*.  
4. In recipiendo, sive pro potentia obedien-  
tiali, quomodo ignis non potuit urere  
Dan. 3. Hos dependentiae modos, haud  
incongrue ad spiritum creatum applica-  
veris. Dispaleſcit hinc omnes Spiritus  
creati proprietates esse finitas & limi-  
tatas, sive eae respiciant ejus *essentialiam*, ut  
simplicitas, immortalitas &c., sive ejus  
*adotes*, ut sapiētia & lāctitas, sive sint *interne*,  
ut intellectus, & voluntas, sive *externae*,  
ut potentia &c, quas singulas cum nunc  
persequi non sinat brevitas, remittimus  
Ben. Le&t. ad Joh. Alstedii Encycl. l. 12.  
Pneum. part. 2. c. 4. & 5: item D. Joh. Ge-  
zelii Enc. c. 2. & 3.

## THES. IV.

## §. I.

**Q**uoniam Angeli & animæ hominis  
separatæ, quos sub nomine *Spiritus*  
*Creati* intelligimus, in supra expositis  
termidis, elucet *conveniens*, quorū ulti-  
mū

mus, videlicet dependētia, utriusque genus  
 est proximum, dū seorsim describuntur,  
 respectu licet spiritus increati sit differēti-  
 a: calamum jā promoveremus ad utriusque  
 conceptum differentialem, quem nobis  
 sistunt voces *completum* & *incompletum*.  
 Sumitur autem *completum* i. *participialiter*,  
 ut vox passiva respectum implicans ad  
 agens: quomodo completum idem est, ac  
 ab alio, in esse suo completo, causaliter  
 esse constitutum, sive a causa extrinseca  
 efficiente & fine, sive intrinseca materia  
 & forma: quam significationem hic non  
 agnoscimus; sic enim DEUS qui est ens  
 ab omni causa independēs, excluderetur.  
 2. *Nominaliter*, pro eo, quod essentiam ha-  
 bet in se terminatam, adque alterius in-  
 trinsecum complementum non ordina-  
 tam, ut angelus, quam acceptiōnem fa-  
 cimus nostram. Hinc vi contrariorum,  
 illud *nominaliter* dicimus *incompletum*,  
 quod essentiam ad alterius intrinse-  
 tam perfectionem natura sua ordina-  
 tam habet, ut anima separata. Sic.  
 Form: in Met: C: 2. *incompletum* definit,

quod non habet essentiam in se terminatam,  
 sed, per se ordinatur ad alterius perfectio-  
 nem. Dividitur autem completum & in-  
 completum a nonnullis in *Physicum*,  
 sensu latiori terminum ampliando,  
 & *Metaphysicum*: prius est, completum, quod  
 a parte rei habet esse suum totale, &  
 ad aliud non ordinatum, ut angelus,  
 homo &c. incompletum vero, quod  
 a parte rei ad essentiam & perfectio-  
 nem alterius est ordinatum, ut ani-  
 ma rationalis: posteriorius autem, comple-  
 tum est, quod per intellectum nostrum  
 sub ratione totius universalis ita con-  
 cipitur, ut species: genus vero & diffe-  
 rentia ad ejus constitutionem ut par-  
 tes. Secundum hanc utriusque acce-  
 ptionem, non inepte dixeris angelum  
 substantiam *physice completam*, animam  
 vero rationalem *incompletam*; cum com-  
 pletum physicum nuncupetur id, non  
 quod materia & forma constat physi-  
 ca, sed quod re ipsa absque intelle-  
 ctus operatione existit; contraque

incompletum, quod ex sua natura & in se non habet, quicquid ad substantiam completam requiritur. Nos arbitramur tutius dici angelum substantiam *metaphysice* completam & animam rationalem incompletam; non in illo sensu, quo modo explicatum erat completū metaphysicū, sic enim involvit quoq; completū *logicum*; sed prout illud dicitur completum, quod quicquid ad essentiæ perfectionem pertinet, habet, nec ad alterius constitutionem est ordinatum, ne completum physicum proprie tale de sua deturbemus sede.

§. 2. Pluribus entis in completum & in incompletū divisionibus omissis, breviter dicimus, animam hominis in statu separato manere substantiam incompletam: non quod hæc ratio incompleti dependeat saltē a nostro concipiēdi modo, vel extrinseco respectu; sed a reali, naturali & intrinseca sua constitutione, & ad aliud complendum destinatione. Unde in statu separato ad corpus, cui au-

ante erat unita, informandum pro-  
pendet; non enim quod actu non com-  
plet esse alterius, sed quod neque *actus*  
neque *potentia* ad aliud terminatur com-  
plendum, ratione excidit incompleti.  
Exempli vero, quod quidam a partibus  
deducunt similaribus, nulla est pari-  
tas: illæ enim post separationem desi-  
nunt esse entia incompleta, habentq; ra-  
tionem totius, qua in statu carebant  
unito; anima vero aptitudine & ordina-  
tione naturali semper gaudet ratione  
partis, licet actu, neque pars, neque  
forma, in statu separato dicenda sit.

## THE S. V.

## §. I.

**S**icut Spiritus creatus, cum increato,  
in voce *immaterialitas*, convenit, &  
ab eodem in voce *dependentia* differt; ita  
versa vice, in *bac*, cum *corpore naturali*  
convenit, & ab *eodens* in *illa* differt. (N)  
*Conveniunt* Spiritus creatus & corpus  
naturale in hoc, quod sint res creatæ &  
dependentes: conf. Th. III. *convenien-*  
*tia*

tia autem utriusque ex principiis eruenda & affectionibus communibus. *Principia* quod attinet, de *externis*, causa scilicet efficiente & fine, res est clara, *Dominus enim univerfa propter semet ipsum operatus est*, Prov. XVI. 4. conf. Col. I. 16. Quod autem *principia* spestat *interna*, quæ *Physicis* sunt materia & forma, ea *Spiritum creatum non habere certum est*, & in Th. iii evictum: eorum tamen vicem in spiritu creato, ejus naturam & quidditatem, quæ in hoc consistit, quod sit substantia finita & spiritualis, sustinere, nihil vetat dicere: unde a nonnullis spiritui creato tribuitur materia & forma *analogica*, quorum priorem non absurde dixeris potentiam, genus, & *to ens*, posteriorem vero *actum*, *differentiam*, & *essentiam*, ex quibus compositus dicitur, juxta communem Philosophorum calculū: *Omne definitum est compositum.* Quod spiritus creatus, & corpus naturale, certis in quibusdam *affectionibus* convenienter

vel inde patet, quod illius, non aliter ac  
hujus essentiæ perfectio suis circumscri-  
pta est limitibus. (2) Differunt in voce  
*immat.* Non ignoro differentiam spi-  
ritus & corporis, omnibus, qui tantil-  
lum literis tribuerunt temporis, esse no-  
tissimam: non tamen ideo, licet illam  
hoc loco sicco præterire pede. Vox *im-  
materialis*, in supra data definitione, ad-  
hibita, id nobis expediet negotii, quæ  
cum ponit spiritualitatem, removet si-  
mul omnes corporis proprietates.

§. 2 Redeundum ad ea, quæ supra  
de conceptu immaterialitatis dixi, scili-  
cet proprietates spiritus in genere ex  
immaterialitate, tamquam communi flu-  
ere fonte. *Sicut aeterna per tempora-  
lia*, ut Scheibleri verba faciam mea,  
*ita immaterialia per materiale cognos-  
cimus*, per remotionem nempe rerum  
materialium affectionum. Removen-  
da igitur a spirituali substantia, pri-  
mum adæquata materiæ proprietas,  
*quantitas*, unde sequetur spiritum non  
esse

esse alicubi *circumscriptive*, sive in loco physico ; licet spiritus creatus per substantiae illocalem adpropinquationem *definitive* & *impartibiliter* certo adsit  $\pi\tilde{\nu}$ . Ex *illokalitate* lequitur *immobilitas* Physica, qua omnis spiritui denegatur motus physicus, qui modum per circumscriptionem adessendi prælupponit, imo de spiritu in genere loquendo, non est ullus motus ei tribuendus ; cum DEUS ob immensitatem essentiæ, prorsus sit immobilis : spiritus autem creatus, de quo potissimum, heic nobis est res, movere se dicitur, quando  $\pi\tilde{\nu}$  uno relicto, sine successione, in instanti, se in aliud convertit, *non secus ac lumen in momento transit aëra*, dicente B. Doct: Joh: Gezelio, idem de reliquis spiritus proprietatibus esto judicium : ob immaterialitatem enim dicitur *simplex*, *incorruptibilis*, *indivisiibilis* &c. de hisce & aliis spiritus attributis videantur Doct. Joh: Gezelius & Mejerus in Pneum:

## THES. VI.

§. I.

**D**ictum fuit modo, spiritum etiam creatum, ob immaterialitatem (ab intra puta) ἀφθαρτοῦ: unde animam post separationem a corpore, superstitem esse, sequitur, quia hæc, non minus quam angeli, per Creatoris gratiam, gaudet ἀφθαρσίᾳ. Sed cum *actiones* sint *suppositorum*, juxta canonem logicum, & animæ certi quidam actus in statu separato non denegandi; suboritur quæstio, num anima separata, æque ac angeli, certum quoddam sit suppositum? Nodus hic ex definitione suppositi facili solvitur negotio: sic autem definit Rudraufius: *suppositum est substantia completa, incommunicabiliter subsistens.* ubi videmus excludi i. *accidentia*, quis enim illud diceret suppositum, quod per se subsistere nequit? 2. *Substantias incompletas*, quare anima nostra, quæ in sta-

tu separato retinet esse incompletum  
 sibi naturle, non potest esse supposi-  
 tum: licet igitur animæ rationali in  
 statu separato propriam subsistentiam,  
 ut substantiæ, concedamus, quia per  
 se operatur independenter ab omni sub-  
 jecto, quod non nisi rei per se sub-  
 sistenti convenit; non tamen habet  
 subsistentiam *suppositalem* seu *suppositi*, quæ  
 est ultimus naturæ substantialis com-  
 pletæ terminus, vocibus *incommunicabiliter*  
*subsistens* significatus, ubi innuitur, suppo-  
 situm neq; actu neq; aptitudine, ab alio  
 dependere. Consistit vero *suppositi* cre-  
 ati *ratio formalis*, in negatione duplicitis  
 dependentiæ, *actualis* nempe & *aptitudi-  
 nalis*: unde liquet, animam separatam non  
 esse suppositum. E. g. animæ Lazari  
 negatur quidem *actualis* ad corpus de-  
 pendentia, non tamen *aptitudinalis*; quia  
 natura sua ad corpus uniendum inclinat:  
 hinc quamvis actu non sit forma, tamen  
 non destituitur naturali sua, ad corpus  
 vel *compositum*, in quo incompleti  
 en-

entis elucet ratio, ordinatione. Non diffitemur animam, in statu separato vices suppositi, tam in essendo, quam in operando, tenere, rationemque entis completi imitari : non tamen ideo est suppositum, cum sit substantia incompleta, nisi forte dicere velis naturam ejus eo in statu immutari, novamque ei accedere entitatem: quod esset entia praeter necessitatem multiplicare. Illud igitur verum manet, animam hominis in statu separato non esse suppositum, multoque minus personam; cum ad hanc, plusquam ad illud, requiritur, imo nec substantiam praedicamentalem; cum entia incompleta, non nisi reductive, in praedicamentis sint, quod docemur  
ex Logicis.

DEUS nos semper suo regat Spiritu ! Cui Laus & Gloria  
sempiterna !

